



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Elogium Natalis Rondinini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

ELOGIUM
 NATALIS
 RONDININI.

NATALIS RONDININUS, ingenii & morum, & fortunæ ornamentis, in paucis quos nostra tulit ætas, illustris ac memorabilis fuit. Eo genere Romæ natus, à quo sumere sibi potuit omnia, quibus ipse se, & suos clariores faceret. Nam neque avitæ illi res & imagines defuerunt, quas ad exemplum intueretur assiduè; neque alta accensaque laudis studio indoles, quæ directis viis euntem impelleret ad fastigia præmiaque Virtutum. Verùm mihi consilium non est funebrem laudationem, quam meretur, instituere. Naturam & artem, magistras optimas, imitabor, quæ res magnas & varias in angusto nonnumquam exhibent. In annulo gemmam gestasse fertur Pyrrhus, in quâ novem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Sylla Dictator traditione Jugurthæ semper signavit. Punctis omnia veriùs, quàm lineis designabantur, cùm idoneus situs ac status attribui in tam arcto spatio nulli posset. Referam & ego similiter in has pagellas de Rondinini contractè aliquid & exiliter, magno inter me & cælatores discrimine, quòd hi corporum tantùm dispendio res suas effingant; ego animorum atque virtutum.

GENUS suum Rondinini ad Cribellos referunt,
 Y 5 no-

nobilissimam apud Mediolanenses familiam. Ut unum pro multis dicam, abhinc annos propè quingentos honoribus, clientelis, opibus abundans, Urbanum III. Pontificem Maximum orbi dedit. In gentili parmâ hirundines præferunt, tesseram sive ex cognomento, sive ex eventu natam; cribra prætereà, demissæ à Cribellis originis, & nobilitatis insigne. Diversa quidem his & illis appellatio, nec eadem semper habitationis sedes: sed nimirum & fluvii interdum, quasi alii à se sint, non idem servant nomen, quibus eadem tamen sunt fontium capita, idem aquarum splendor. Neque si furculus in aliud solum depangitur, non ab eodem à quo revulsus est stipite genus ducit. Mediolanò in eam Italiæ regionem, cui via Flaminia nomen fecit, traductos, Faventia primum excepit, deinde Roma, ingeniis aliunde adventantibus apertissima & perhospitalis. Et habet hoc illa princeps urbium & terrarum, ut communis omnium patria dici & esse velit; non ignara, ut constituta olim sit, ut aucta, ut coalita ex variis quasi elementis in unum corpus, advenis fortuitò coëuntibus in civitatem acceptis. Extulere Rondininos duo, pacis & belli artes: quarum utra plus illis ad gloriam valuerit, nihil attinet definire. Satis constat neque sapientiæ fortitudinem, neque fortitudini sapientiam dignitate cedere. Patrem habuit Natalis Alexandrum, virum eximiâ in agendis rebus prudentiâ, & præter generis splendorem, omnibus elegantiorum literarum disciplinis excultum. A Natale avo suo nomen accepit. Is primus è suis sedem rerum & fortunarum ex illâ, quam dixi, Italiæ Cispadanæ parte, Romam transtulit in comitium ac forum orbis terrarum. Ad tractandas res natus videbatur, naturâ æquè ac disciplinâ consultus. Quæ optavit, videri potuit affecutus omnia, non quòd

quòd possideret, sed quòd eâ esset moderatione animi, ut nihil appeteret; suus semper, nulli obnoxius, ab honorum studio alienus, virtute quàm ejusdem præmiis ornator. Cujus rei fama, cùm gravissimorum munerum administrationem plurimi peterent, Summos Pontifices in illum primò non petentem, deinde ut inclinata ad quietem studia viderunt, etiam recusantem convertit. Clementis VIII. jussu, Romani fori disciplinam suo splendori nitorique restituit: recidit corrupta, integra roboravit, stabilivit antiquos & convenientes tribunalium majestati mores. Ad annum usque centesimum, grande mortalis ævi spatium, vitam protulit; summâ semper dignitate, nullâ auctoritatis imminutione. Neque enim omne vinum, neque ætas omnis, vetustate vigorem exspirat. Viguît animo & corpore vir moderatissimus, usque eò, quoad opus ipsa suum eadem, quæ coagmentaverat, natura dissolveret. Legationes, alterum togatæ sapientiæ munus, & nobilitatis ornamentum, famam quoque Rondinini confecerunt. Nicolaus, multiplici rerum cognitione, & usu, & singulari eloquentiâ præditus, apud Venetos Legati munere perfunctus, ampla negotia tractavit, summoque in honore habitus est. Eò majori illud ponendum in laude, quòd non alibi diligentius Legatorum dicta factaque observari dicant, ac propterea Venetiæ optima habeantur palæstra, è quâ prodire Legati quàm instructissimi possint. Laudat Nicolaum Marcus Guazzus in Commentariis suis vernaculâ Italarum linguâ conscriptis, qui è privatis eruditorum scriniis & bibliothecis nondum exierunt. Bartholomæi Rondinini prudentiæ & fidei oblata est tempestas difficillimi temporis, quo Cardinales aliquot coitione temerè Pisis factâ, Julii II. Pontificis Maximi auctori-

tori-

ctoritatem labefactatum ibant. Erat is è S. Dominici
 familiâ, Theologiæ & Juris Pontificii scientissimus: præ-
 erat summâ cum potestate Congregationi Tusciæ à
 S. Marco nominatæ, atque unâ cum viris aliquot doctri-
 nâ consilioque pollentibus per idem tempus Pisas se rece-
 perat. Stabant pro Cardinalibus Reges quidam: sparge-
 bant in Pontificem criminose multa: ruebant contrâ in
 illos Pontificia fulmina, tamquam facti à Romanâ Sede
 divortii reos. Magnæ erant in illis fluctibus jactationes
 animorum, offensiones in vulgus magnæ, in tantâ præ-
 fertim partium contentione atque dignitate: Pisis in pri-
 mis, ubi res gerebatur, & in partes vocabantur Clerico-
 rum & Religiosorum hominum ordines. Sub initium,
 quid sequerentur, constituere satis Pisani non poterant.
 Ad Bartholomæum (tanta erat viri apud omnes auctori-
 tas) causam detulere, in sententiam, quamcumque is
 ingrederetur, concessuri. Hæc dum gerebantur, poten-
 tes intereâ ac factiosi sollicitare optimum Patrem, primò
 molliùs, gratiæ & honorum certâ spe; deinde acerbè,
 multa ac metuenda minitando, ut irritati solent animi
 stomachum post perditas blanditias effundere vehemen-
 tiùs. Sed ad labefactandam fidem spes & metus excellen-
 ti animo juxtâ valent. Nihil igitur ille obnoxie dicere,
 propalam obviàm ire obstinatis consiliis, adversarios vi
 argumentorum verecundiâque percellere: nutantes eri-
 gere, stantes confirmare: Pontificem eorum, quæ ge-
 rebantur, certum facere. Quod ipsi totique Cœnobio
 invidiæ & obtreccioni fuit, ac propè capitale. Nam
 etsi occultis viis literæ mittebantur, fieri tamen non po-
 tuit, quin earum aliquæ, tamquam hostiles manubiæ,
 ab urbis Præfectis interciperentur. Absterfit periculi me-
 tum, quicumque is fuit, Cardinalium repentina dis-
 ccessio,

cessio, Mediolanum conciliabuli sui sedem deligentium, five quòd causæ suæ admodum invisos haberent Pisanos, five quòd hæc urbs adversus Pontificia arma minùs tuta videretur, fessa quatuordecim annorum recenti bello, & jam Gallicus equitatus in urbem intromissus hostilia fecisset. Magnam peperere Bartholomæo laudem Pisanæ res, qui cùm deinde vitâ concessit, non sui tantùm reliquit apud omnes desiderium, sed, quod potiùs est, præclaram sanctimoniam famam. Bellicus quoque labor Rondininos illustravit. Materiam dedit conversio rerum ac perturbatio, cùm Romani Pontifices in Galliâ se haberent. Quæ inter potentiores certamina tum exarserint, quæ visa fuerint cælo terrâque prodigia, dici vix potest. Concussa est intestino bello Italia: belli non alia causa, quàm lubido dominandi: florentissimæ urbes, tamquam vacuæ possessiones, armis occupatæ: Carrarii Patavium, Mantuam Passerini, Canes Scaligeri Veronam, alii alia sibi asseruerunt. Nicolaus Laurentii, scriba populi Romani, incertum stolidior an ambitiosior, in Tribuniciam potestatem ac jus Imperatorium invasit, in eamque spem venit homo vanissimus, posse se multitudinem eludere in illis suis cogitatis furoribus inani jactatione libertatis. Ludovicus Bavarus injussu Romani Pontificis Joannis XXII. pro Imperatore se gerens Romam adiit: adversus illum nefario consilio alium Pontificem legit, ab eoque Imperii sumisit insignia. Deflagavit in monte Cælio Laterana Basilica: cometæ, solis defectiones, pestes, annonæ penuria terrori & exitio fuerunt. Tanto stetit Pontificem alibi quàm Romæ degere. In hac atrocitate temporum, armorumque licentiâ, consilium, bellicamque virtutem, & in Romanos Pontifices fidem probavere Rondinini: Replicare memoriam annalium Latinè atque Italicè scriptorum,

ptorum, è quibus res eorum peti possunt, magni est operis, certè non hujus instituti aut loci. Nec posteaquam Pontifices Romam remigrarunt, cum Italis debellatum fuit. Eugenius IV. Pontifex Maximus bellis undique premebatur, ut vix ei respirandi facultas esset. Piccinus copiarum dux, Pontifici infestus, ingenio & armis ferox, populabundus vexabat Italiam: quidquid Mincio, Athesi, Benaco & Sebino lacubus alluitur, magnà ex parte subegerat. Per Æmiliam deinde Flaminiamque belli fragor intonuit. Bononia, Forum Cornelii & Livii, Ravenna, aliaque Pontificiæ ditionis oppida, ipsum etiam Picenum armis ejus infessa. Victoriarum cursum cohibuit Boldrinus Rondininus, pugnandi æstu cum suis mediam perfringens hostium aciem, vitæque periculum post virtutem habens. Nec defuit fortuna virtuti. Piccininum cepit, & Manfredo Faventino Regulo captivum duxit, sive belli ludibrium, sive victoriæ pompam. Vetera illa: hæc recentia. Josephus Rondininus, Natalis nostri germanus frater, belli sacri incensus cupidine, honorariæ militiæ rudimenta apud Venetos posuit. Sicum Turcico servitio pressum obsidebant, oppidum apud Illyricos in sinu Scardonico, in conspectu irrumpentis freti ad montis radicem positum, atque arce firmatum. Primus huc illum impetus rapuit, laboris æquè ac periculorum avidum. Inde ad Clissam admotus exercitus, quæ creditur Diocletiani fuisse patria, ab eo Diocletia dicta, & adhuc prisicæ appellationis extremum nescio quid visa retinere. Neque enim commentitium videtur, si Cletiam in Clissam degenerasse quis dixerit, post frequentes incursiones barbarorum, urbibus æquè ac rerum nominibus multam labem inferentium. Quæ lacinia videri possit huic narrationi inconcinniter attexta, nisi

nisi fortè, quando in hujus urbis mentionem incidimus, meminisse etiam juvet, unde homo immanissimus obscurique generis ad Imperium emerferit, qui Christianam fortitudinem eò illustravit magis, quò acriùs ad illam opprimendam incubuit. Urbs in rupe naturali situ munita, capta sæpiùs amissaque, cùm denuò ex Turcis recepta est, bellicis Rondininum præclarè exercuit. Mox enim Venetorum Senatus, honoris causâ, eum in Cretam ampliozem Martis campum evocavit, externaque Candia urbis munimenta ejus fidei virtutisque commisit. Exacuit generosi juvenis animos data provincia, ut fermè prima militiæ præmia. Quam dum strenuè sustinet, Turcæ per obscurum noctis, magno, ut solent numero, pari ferociâ illum adorti sunt: tantoque ardore pugnatum fuit, ut valla faucis dilapsisque propugnatoribus pænè nudata occupataque sint. At ea res malè mox Turcis vertit haud sanè inultis. Voce namque & manu Rondininus terrorem in hostem revocans, audaciam in suos, magnâ strage barbaros propulit: dumque acriùs, ultrâque quàm tutum erat, cedentes insequitur, muralis tormenti glande prostratus, ruinarum more, quæ super id quod oppressère franguntur, victor occubuit ingenti luctu suorum, anno M. DC. XLIX. VII. Idus Septembris; non illâ utique ætate tollendus, quippe qui annum secundum & vicesimum vixdum excederet, & admiratione militaris indolis in se veteres quoque milites converteret. Hæc aliaque habuit Natalis in paternâ domo bellicæ togatæque virtutis decora, quibus ad laudem accenderetur. Nec minorem in pectore aluit flammam memoria rerum maternarum. Felix Sachia ejus mater, perquam illustri loco nata, majores habuit Vectiani in Liguriâ, aliorumque quæ circà sunt oppidorum dominos, armis

ac literis inclytos. Utrisque clarus fuit Laudivius Sachias, miles Hierosolymitanus, & ut ingenii cultum in militari viro agnoscas, Nicolao V. Pontifici, bonarumque artium fautori optimo maximo apprimè carus; electus quem cubiculo ac familiaritate æstimaret. Alter Laudivius (sunt quippe nominum æquè ac decorum retinentes familiæ) Felicis Sachiaë pater fuit. Coniuge è vivis ereptâ, primùm in Consilii Pontificii confessu ad-vocationis jus adeptus est, deinde quatuor Pontificum præclaris judiciis commendatissimus vixit. Sub Clemen-te VIII. Curiaë Apostolicæ ærario pro Tribuno; sub Paulo V. Pontificio Patrimonio pro Legato fuit: ab hoc etiam Episcopus Montis Falisci creatus: à Gregorio XV. missus ad Venetorum Rempubl. Nuntius: ab Urba-no VIII. admotus iterùm ærario, dein Pontificii Pa-latii Præfectus, postremò in amplissimum Cardinalium Collegium secundâ eorum nominatione cooptatus. Pau-lum Æmilium, Laudivii hujus fratrem, per varios quo-que honorum gradus ad purpuram, ac propè altiùs eve-xit parta prudentia usu rerum maximarum. Cùm ad-huc adolescens in literis emineret, ac deinde juris co-gnitione primus inter æquales esset, & apertiore in dies famâ nosceretur, venit in sermonem gratiamque Cle-mentis VIII. Is in Cubicularios intimos eum retu-lit, quæ fuit ad res graviores quædam quasi pro-lusio: post signandis gratiaë causis cognitorem adhibuit: in A-postolicâ Curiaë delegatâ à se jurisdictionis judicem esse iussit: inter Pontificii Consilii Notarios, Participantes appellat, gratis allegit: Nuntium ad Catholicum Hispa-niarum Regem extra ordinem misit: tandem Cardina-lem creavit, suo iudicio dignè, ac merebatur, magni-ficèque laudatum. Cùm enim ejus merita breviter
car-

carptimque repeteret, Jurisperitum sanctissimo Purpuratorum Patrum Senatui à se adjungi dixit nulli secundum. Ergò illi jam purpurâ donato Pontifex summa quæque & arcana committere: conquiescere in illius prudentiâ & fide: illum æstimare ac diligere impensè. Amorem existimationemque augebant quotidiana negotia prosperè expeditèque confecta. Inter hæc animus illi erat multâ humanitate temperatus, &, quo nihil est ad conciliandos homines accommodatius, beneficus ac liberalis. Faliscorum Ecclesiam cum regendam suscepisset, inaugurationis sollempnia Pontifex ipse pro suo erga illum studio in Lateranensi Basilicâ peregit: mox Episcopi munus Congregationis Concilii Tridentini Præfecturâ cumulavit. Tantâ sapientiæ & integritatis famâ cum floret, & in Clementis VIII. locum successor esset subrogandus, dignus habitus fuit, qui in Comitibus Vaticanis suffragia omnium mereri & ferre posset. Ita sensit ac scripsit Cardinalis Peronius literis ad Henricum IV. Galliarum Regem à sedatis. At, quæ est rerum humanarum inconstantia & brevitatis, non multò utique longiùs in Pontificatu victurus fuisset, quàm, qui illum adeptus est, Leo XI. siquidem hic v. Kalend. Maii, septimo & vicesimo ab electione die; ille prid. Kal. Junii, eodem uterque anno, quatuor tantùm & triginta dierum intervallo (juvat enim, ut pauperes tenuis summæ, ita perangusti temporis rationem exactiùs inire) vitam unàque honores terminarunt. Videri posset alter Paulus Æmilius, Alexandri Rondinini & Felicis Sachiarum filius, hereditate adiisse avi & avunculi sui purpuram, si ut fortunæ, sic animi bona ad alios pervenirent. Sed & illum sua virtus, sua in Remp. Christianam merita in Cardinalium Collegium aggregarunt. Adeò perennis ac propria

Z

pria

pria est huic familiæ claritas & amplitudo, rarâ proflus felicitate. *Una Pherenice*, ut memorat Plinius, *quæ filia, soror, mater Olympionicarum*: opprimit mentionem memoriamque laudis hujus Felix Sachia, filia, mater, cognata Cardinalium. *Una familia Curionum*, in quâ tres continuâ serie Oratores exstiterunt: plus est, unam esse, quæ totidem habeat consiliarios & iudices orbis terrarum. *Una Fabiorum*, in quâ tres continui Principes Senatûs: majus, tres ex unâ in eum Senatûm adscitos esse, qui non modò Regum, quod aiebat Cyneas, verùm etiam Dei Divorumque confessum referat. Sed mererum maximarum inter se comparatio longiùs ferat: nunc ad narrationis ordinem venio. Felix Sachia Alexandrum Rondininum conjugem suum anno ætatis ejus primo & quinquagesimo adhuc ævi immaturum amiserat, liberis novem relictis, cùm tota domus onus ejus esse cœpit. Quamquam hi orbi putandi non fuerunt matre incolumi, non spectatæ tantùm probitatis, sed etiam doctrinæ feminæ. Quod Sempronio Graccho Cornelia; Martia Hortensio; id Alexandro fuit Sachia. Nullo præceptore, ut docilitatis atque ingenii magnitudinem videas, ad discendas Latinas literas usâ est, sibi dux & magistra, & antiquitatis tam profanæ quàm sacræ diligens indagatrix. Curam igitur in liberorum institutione eò majorem posuit, quò & ipsa accuratiùs honestarum artium studiis pueritiam, adolescentiamque excoluerat. Paulus Æmilius, & Josephus, alter in purpurâ, alter in sago, ut jam dixi, ostenderunt quid benè providèque nutrita indoles posset. Laura non tam in matris gremio, quàm sermone educata, politiores etiam literas animo complexa est, & ipsa inter Lælias, & Licinias, & Mutias, & siquæ præterea parentibus suis doctrinâ & eloquentiâ responderunt,

nominanda. Præceptoribus usa est Tarquinio Gallutio, & Alexandro Donato, viris è Societate J E S U, eruditione & editorum Operum famâ notis. Sollicitam instituentium diligentiam merebatur provocabatque eminens illius ingenium. Quod ipsa deinde ita exercuit & expolivit, ut post illos, quorum præceptis informata est, fortasse etiam cum illis legi & placere posset. Certè Cardinalis Bentivolus, cum suam de Bello Belgico historiam Latinè ac perpolitissimè verti cuperet, eamdem illi commendavit, ac tradidit. Sed defugit hanc operam virgo, non tam declinatione laboris ac studii, quàm modestiæ curâ. Sermo ac stilus illi cultus ac nitidus, in quo nullus ambitiosè putidèque quæsitus color. Neque enim ignorare poterat deformari orationem plus æquo affectatam, perinde ac corpora, si quis vulsa atque fucata muliebriter comat, fœdiora fiunt ipso formæ labore. Superfunt adhuc nonnulla ejusdem tam solutæ quàm numeris ligatæ orationis præclara monumenta, ex quibus facilè apparet, compluribus eam viris dubiam eruditionis palmam fuisse facturam, si literis, quàm religioni vacare maluisset. Humanis quippe rebus valere jussis, institutum S. Teresiæ secuta, in cœnobium sese abdidit, ubi sanctè religiosèque, in quo sunt omnia, vitam etiamnum, quod & diu faciat, exigit rerum divinarum contemplatione dulcem atque tranquillam. Atque hæcenus pauca è multis, velut faces in funere, præire jussimus: nunc sequatur ipse, cui funus ducitur. Quæ ad ejus genus pertinent, ad eum quoque pertinere existimavimus. Nam etsi ea quæ ipsi non fecimus, nostra non sunt; nostra tamen, si in magnâ generis claritate splendorem habent, hoc ipso majora esse necesse est. Ita Luciferum ceteris stellis clariorem esse novimus, quòd hæc in tenebris tantùm, ille oriente

etiam sole stationem teneat, luceatque. Annum ætatis nonum attigerat Natalis Rondininus, cum Alexandrum parentem suum luxit. Dabat jam tum ingenii jucundi & elegantis specimen iis in literis, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet. Ex ephebis egressus, Bononiam sedem ac magistram Philosophiæ habuit, longè iis dissimilis, qui ex Academico tantum otio licentiam usurpant. Ipse toto animo ac studio ad laudem incumbere: audire magistros, ab iis audiri: intelligere, se in vestibulo scientiarum omnium stare; in earum deinde adyta penetrandi spem nullam fore, nisi ingenium hic prius diligenter exercuisset. Nec Mathematicas disciplinas negligendas putavit, ut scilicet ad rem militarem, si ad hanc fortè animum adjunxisset, paratior instructiorque esse posset. Et quamvis aliò consilia verterit, totumque se Deo dederit, jucundos tamen & utiles de rebus bellicis miscebat sermones in loco, non quales eorum sunt, qui debellaturi videntur super mensâ Alexandrum, imperiti rerum. Hauserat partim è præceptionibus aliorum, partim ex historiis, quæ ad ordinem legesque militiæ pertinent: quis castrorum locandorum situs: quæ instruendæ aciei formæ, ac varietates: quæ cingendarum urbium descriptiones: quando cum hoste conferendæ manus: quando quiescendum. Aliquot post annis Bononiâ in Urbem reversus Theologiæ & Jurisprudentiæ operam dedit, hanc etiam publicè interpretandi donatus facultate. Exin sollemne illud suum semper tenuit, ut lectissimis quibusque auctoribus volutandis tempus daret. Atque ut se oblectant qui ad celebrium fluviorum capita consistunt, eorum præsertim qui auri-feras arenas secum vehunt; ita jucundissimum illi erat ad sanctorum Patrum lectionem accedere, è quibus videret

aurea

aurea illa promanare sapientiæ flumina, unde & sitim posset explere, & rivus deducere. Otii quoque sui partem ad sacram & profanam historiam contulit. Hanc ille oblectationem honestissimam utilissimamque ducere: hinc petere dicta, facta, consilia publicè privatimque salubria: quam alii prudentiam agendo experiendoque, ille sedendo legendoque comparare: ipsam in adversis aliorum casibus misericordiam jucundam putare. Huic studio finitimum fuit sacra, ritus, leges, instituta gentium observare, etiam barbararum. Erat igitur illi memoria velut ærarium opulentissimum, è quo eruditionis suæ divitias opportunè depromeret. Accedebat his Latinarum literarum amor & cultus, & sine quâ nullus est ad vitam communem studiorum fructus, eximia in scribendo dicendoque venustas & copia. Interdum poëtico incallescens afflatu carmen scribebat veterum genio, puris verbis lectisque sententiis. Vel eâ causâ secessus in Umbriâ apud Eminentissimum Principem fratrem suum Paulum Æmilium Rondininum Cardinalem, Assisii Episcopum, gratissimus illi accidit. Parentavit hinc Sidronio Hoffchio è Societate JESU Poëtæ cultissimo, dulcibus & expolitis elegis; receptûs sui amœnitatem allato de ejus morte nuntio corrumpi questus. Paucula quidem ejus poëmata, quæ velut naufragii reliquiæ ad nos pervenerunt, publici juris fecimus: sed lectorem si non lassabunt, explebunt tamen, & plura fient sæpè relegendo. Literariam suppellectilem ut auget, in Græciam quoque navigavit, hoc est, ad scriptores Græcos animum appulit: Neminem, dictitans, sine hoc præsidio absolutum aliquid in iis artibus, quæ ad humanitatem pertinent, consequi posse: Veteres Romanos eloquentiæ suæ opes omnes è Græciâ in Italiam convexisse: illius linguæ opulentiam & suavita-

tem nullius interpretis oratione repræsentari : illam Byzantio in Italiam , unde totos septingentos annos exulaverat , ab hominibus nobilissimis olim reductam fuisse ; mox à doctissimis quibusque arreptam generoso congentoque studio : turpe nunc Romanæ juventuti fore Musas Atticas in bibliothecis jacere neglectas & situ obsoletas. Tot tamque valentibus inductus causis invigilabat in his studiis , veneratque illi in morem non solum lectitare libros Græcos , verum etiam Græco sermone cum Deo loqui. Excultum literis animum ornabant castissimi mores. Crederes Pudicitiam ipsam ab ejus latere numquam discedere , & animi corporisque velut templi Deo dicati ædituam esse , quæ profanum aliquid aut immundum eò inferri non sineret. Mira illi erga amicos fides , & in obsequio comitas : sermo ingenuus , & ab omni furo alienus : plus in animo benevolentia & officii , quàm in verbis , thesaurorum more , quibus plus est opum in recessu , quàm in superficie ostentationis. Sacerdos , & in Vaticano templo Canonicus sacris operabatur ferme quotidie , ad eumque Numinis cultum dignam afferebat templis & aræ contactu probitatem. Tantâ virtute sapientiâque instructum ascivit Alexander VII. Pontifex Maximus in aulam suam , in quâ velut in regno suo virtus est , eumque sibi ab Epistolis ad Principes scribendis esse voluit publicâ Urbis gratulatione. Quâ integritatis , & prudentiæ , eloquentiæque laude munus suum administraverit , supervacaneum sit dicere. Non deerunt decora ingenia , quæ cum ad tempora Alexandri VII. dicenda venerint , historiæ suæ inferent quas illius ingenio elucubratas literas de rebus gravissimis ad Principes dedit. Sed ecce dum tanto Pontifici se quotidie probat magis , & in Romanâ luce non amorem sui tantum , sed etiam admirationem movet,

su-

supremus illum dies occupat, majorumque rerum spem, quæ in cursu erat, intercipit. Labet hîc coronidis loco apponere, quæ de præmaturâ ejus morte ad Jacobum Wallium scripsit Illustrissimus Ferdinandus Furstenbergius: non quòd me deficiant verba, (quamquam & illa in tam acerbo casu deficiunt) sed quòd hæ literæ exstare laudarique mereantur professione pietatis. Sic igitur habent:

Noli, mi Walli, plures à Natali Rondinino nostro epistolas expectare. (& dederat cùm sæpè aliàs, tum septem antè diebus, quàm fatalis eum morbus corripere, ita elegantem, & uberem, & officii plenam, ut eam dictasse ipsa videri posset Humanitas.) *IV. Non. Septemb. quindecim dierum febrî, heu dolor! consumptus est, tantâ nobilitate, virtute, eloquentiâ, ac doctrinâ juvenis, ut meritò sæculi nostri Phœnicem quis appellet. Nondum tricesimum ætatis annum attigerat, & jam tum omnes antiquos quæ profanos, quæ sacros scriptores legendo pervaserat. Dicitur non potest, quantum ex ejus morte dolorem S. D. N. ceperit. Amici omnes merore contabescunt: ego tam moleste ejus desiderium fero, ut ne in parentum quidem morte plus hauserim acerbitatis. Omnia amicitia officia egroto præstiti, semper affui, animam agenti astiti, & benè precatus sum, oculos defuncto clausi, & acerbissimis adhuc lacrimis ereptum prosequor. Ubi dolor parùm remiserit, forsân Musis me meis solabor: tu quoque molestis mihi partem tuis absterge.*

Multis ille quidem flebilis occidit:

Nulli flebilior, quàm mihi.

Mecum illi tam arcta consuetudo ex similitudine animorum ac studiorum coorta intercedebat, ut Castorem & Pollucem diceret, utinam alternâ morte redimendos. Sed quid ego longius dolori meo ac lacrimis indulgeo?

360 ELOGIUM NATALIS RONDININI.

Durum, sed levius fit patientiâ,
Quidquid corrigere est nefas.

His epistolam, non lacrimas meas finio. Romæ VI. Id. Sept.
M. DC. LVII.

Natus est Natalis Rondininus anno M. DC. XXVIII.
XIII. Julii: excessit M. DC. LVII. II. Sept.

E P I T A P H I U M
N A T A L I S R O N D I N I N I .

D. O. M

NATALI RONDININO. ROMANO
ALEXANDRI. FIL. PAULI. ÆMILII. CARDINALIS. FR.
PIETATE. INGENIO. ERUDITIONE
ROMANÆ. JUVENTUTIS. FACILE. PRINCIPI
QUI. XXVII. ANNUM. AGENS
AB. ALEXANDRO. VII. PONT. MAX.
PRÆFECTUS. EPISTOLIS. AD. PRINCIPES
OPERAM. SUAM. PONT. SAPIENTISSIMO. ITA. PROBAVIT
UT. MOX. AB. EO. CANONICATU. VAT. BASIL. AUCTUS. FUERIT
NOVA. IN. DOMESTICAS. IMAGINES. DECORA. ILLATURUS
NISI. MAJORA. INDIES. DE. SE. POLLICENTEM. REPENTINA
VIS. MORBI. IN. IPSO. ROBORE. ÆTATIS
REIP. ERIPUISSET

FELIX. ZACCHIA. FILIO. DULCISS.
CONTRA. VOTUM. SUPERSTES. P.

OBIIT. ANNO. M. DC. LVII. ÆTATIS. SUÆ. XIII

IN